

VETERUM SCRIPTORUM  
DE TERENCE  
JUDICIA.  
ORATORUM.

*Cicero lib. 7. Epist. 3. ad Atticum.*

**S**Ecutus sum, non dico Cæcilium (malus enim autor Latinitatis est) sed *Terentium* cujus Fabellæ propter elegantiam sermonis perhibentur a Lælio scribi.

*Idem in Lælio ex persona Lælii.*

Verum est quod in Andria familiaris meus *Terentius* dixit. Et mox: In obsequio, quoniam *Terentiano* verbo lubenter utimur, comitas adsit.

*Tuscul. quæst. lib. 3.*

Multa *Terentius* e Philosophia sumpsit.

*Lib. 1. de Finibus.*

An Synephebos ego potius Cæcilii, aut Andriam *Terentii*, quam utramque Menandri legam?

*Lib. de optimo gen. Oratorum.*

In re quod optimum est, quæritur: in homine dicitur, quod est. Ita licet dicere, & Ennium summum Epicum Poetam, si cui ita videtur, & Pacuvium Tragicum, & Cæcilium fortasse Comicum. Oratorem genere non divido: perfectum enim quæro. Unum est autem genus perfecti, a quo qui absunt, non genere differunt, ut ab Attio *Terentius*, sed in eodem non sunt pares.

*M. Terentius Varro apud Norium.*

In argumento Cæcilium poscit palmam, in ethesi *Terentius*, in sermonibus Plautus.

*Pli-*